



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli  
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola XIV. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

## EPISTOLA XIV.

E I D E M .

**C**Arissime Frater, Deus sit semper tecum,  
Amen. Ex illâ Domini sententiâ : qui  
*non est* mecum *contra me est* potes intelligere  
quàm destituti Amicis hîc simus, qui nos in  
hac Gente ad Christum pertrahendâ juvent,  
non despondendus tamen est animus. nam  
Deus ad extremum juxtâ sua cuique merita  
rependet: & eidem ubi volet facile est, pe-  
paucos id ipsum efficere, ad quod requiri vi-  
deatur opera multorum. Aio Tibi & con-  
firmo: potius me istorum miseret qui con-  
tra Deum pugnant, quàm ut abundè jam  
hoc ipso infelibus, mali auctarium ultionem  
imprecer. Quamquam, ut non accersamus, il-  
la non deerit in tempore. nam quàm atroces  
suis Deus inimicis tandem poenas infligat, vi-  
demus, quoties mentis oculos demittimus in  
fornacem inextinguibilem Tartari, tam mul-  
tos æternùm sævituris ignibus urentem.  
Proficiscitur ad vos ille Brachmanes de quo  
heri ad te scripsi, cum mandatis Regis ad  
Badegas: da efficacem operam, obsecro te,  
quò



I  
NOVARVM EPIST.Lib.2. i 27  
quod navim isthic promptam inveniat, quâ tu-  
tò & citò perferatur Tutucurinum. Ibi por-  
rò quid agatur, quidve actum sit, per quantum  
Deum amas, adjuro Te, fusè, statim, & dili-  
genter scribe. de Præfecto, inquam, de Lu-  
sitanis, de Christianis Tutucurinensibus, do-  
ce me distinctissimè, si magnâ me solitudi-  
ne levatum velis. Ioannem de Artiagâ mul-  
tum ex me salvere jube, uti & Manuëlem à  
Cruce. Matthæo dicit: ne putet se in cas-  
sum laborare: plus me illi bonorum quam  
expectet aut cupiat, parare. Dominus Noster  
sit semper vobiscum. Amen. Manapare  
xiiii.Kal.Septembris An.ccccxliv.

Per Deum te obtestor, cura ut Brachmani  
nulla isthic mora navigandi sit. Age cum  
Præfecto, ut eum verbis saltem & vultu, exci-  
piat ac tractet honorificè.

Tuus in Christo Frater Amantissimus.

*Franciscus.*

S.FRAN-

